

tionem dicimus D. Thomam in illis verbis non censurare aliquo modo assertionem opinionis piæ, sed solum asserto illi Pelagii se opponit, quod dicebat loquendo ex vi legis quod non omnes peccaverunt in Adam nullo prætermisso, sed solum multi. Contra hos dirigit censuram D. Thomas ut vidimus, hæc autem censura non est contra eos qui dicunt ex privilegio B. Virginem esse præservatam, non ex vi legis ut satis ostensum est.

Ad secundum in quo objicitur D. Thomas dum dicit celebrari potius festum sanctificationis quam conceptionis contrariari decreto Gregorii xv jubentis ubique sub nomine conceptionis celebrari, respondetur omnino insulse et insipienter id objici. Primo quidem, quia D. Thomas non reddit ibi rationem celebrationis hujus festi eo modo quo nunc facit Ecclesia Romana, sed reddit rationem quare tunc tolerabat Romana Ecclesia illam celebrationem in aliis Ecclesiis, ipsa tamen non celebrabat. Et dicit hoc fecisse tunc, quia attendebat magis ad sanctificationem quam ad conceptionem. Quæ ratio optima est respectu illius tolerantiae, quæ tempore D. Thomæ erat, pro quo casu non loquitur decretum Gregorii. Nunc vero jam Ecclesia non solum tolerat, sed et præcipit illud festum in quo casu non loquitur S. Thomas. Unde ergo contrarietas est inter dictum S. Thomæ et decretum Gregorii? Secundo, quia aliud est agere de nomine, seu titulo sub quo celebrari debet hoc festum, aliud de ratione celebrandi. De nomine non negat D. Thomas, quin potius admittit non esse reprobendam festivitatem de conceptione (ecce titulus, seu nomen sub quo celebratur) de ratione vero celebrationis dixit, potius esse sanctificationis festum quam conceptionis. Et hoc verum est, quia non celebrat

Ecclesia de aliquo nisi ratione sanctitatis. Et Gregorius xv jubet sub nomine conceptionis celebrari, de ratione vero celebrandi nil dicit. Tertio, illa restrictiva: Potius celebrat festum sanctificationis quam conceptionis, non negat conceptionem celebrandam, imo ly potius, supponit etiam de illa celebrari, sed quia potiore rationem celebrationis obtineat, ostendit, aliud est enim potius sanctificationem attendi, aliud est conceptionem excludi. Et cardinalis Bellarminus, in ii tom. iii, de cultu sanctorum, capit. xvi dicit quod præcipuum fundamentum hujus festi non est conceptio immaculata, sed simpliciter conceptio Matris Dei futuræ, qualiscumque enim fuerit illa conceptio, eo ipso quo conceptio fuit Matris Dei singulare gaudium affert mundo. Si ergo hoc est præcipuum fundamentum qualiscumque fuerit conceptio, cur D. Thomas quia dixerit potius sanctificationem quam conceptionem celebrari, id est, præcipuum fundamentum esse sanctificationem? Denique, hoc solum pertinet ad quæstionem de facto, in quo mutatio accidere potest juxta diversa Ecclesiæ statuta. Tunc Ecclesia Romana non illud decreverat celebrari sub nomine conceptionis, nec celebrabat ipsa. Modo et celebrat et decernit D. Thomas rationem et narrationem reddidit ejus quod suo tempore currebat. Non contrariatur ei, quod alio tempore, id est, nunc Ecclesia decernit. Nec Gregorius iv determinat quod tempore D. Thomæ celebrabatur. Unde ergo contrariantur.

ARTICULUS III.

Satisfit aliis propositionibus D. Thomæ, objectis in primo genere.

Secunda probatio in D. Thomæ objecta, est: Non facere religiosum

vota simplicia, nec absque professione solemniter censendus est aliquis religiosus. Verba S. Thomæ ita se habent 2-2, quæst. CLXXXVI, art. ii, ad 1: « Ad primum dicendum, quod duplex est votum: unum, solemniter quod hominem facit monachum, vel alterius religionis fratrem, quod vocatur professio, et tale votum debet præcedere annus probationis, ut probat objectio. Aliud autem est votum simplex, ex quo aliquis non fit monachus, vel religiosus, sed solum obligatur ad religionis ingressum, et ante tale votum non oportet præcedere probationis annum. » Item in 2-2, quæst. CLXXXIV, art. iv dicit: « Quod in statu perfectionis dicitur aliquis esse proprie ex hoc quod obligat se perpetuo cum aliqua solemnitate ad ea quæ perfectionis sunt. » Et quolibeto 1, art. xiv, ad 1: « Non dicuntur habere statum perfectionis nisi qui se ex solemniter professione ad hujusmodi obligant. » Et idem docet opuse. xviii, cap. xvi in fine.

Difficultas modo consistit, quomodo cum hac doctrina stet, quod aliqua vota simplicia faciunt vere, et proprie religiosum sicut faciunt vere in sacra societate Jesu religione constet ex decisione Gregorio xiii, in bulla: Ascendente Domino, et ex aliis Pontificibus.

Respondetur S. Thomam locutum esse de voto simplici considerato ex sua pura natura non ex adjecto apostolico decreto, seu acceptatione Ecclesiæ speciali, qua illud acceptat ad constituendum religiosum, nondum autem acceptaverat tempore D. Thomæ. Et secundo loquitur de religione, seu statu religioso prout suo tempore erat in usu et in decretis Ecclesiæ a cujus auctoritate derivatur omnis religio. Quod votum simplex ex natura sua religiosum non faciat probatione non eget, alias omni voto simplici id conve-

niret, cum tamen constet manifeste extra societatem Jesu vota simplicia non reddere religiosum. Unde cum D. Thomas loquatur de voto simplici in sensu formali, et ex natura sua, non ex adjuncta extrinseca acceptatione Ecclesiæ, quæ adhuc suo tempore non erat, optime dixit tale votum simplex non facere religiosum. Adde vero non potuisse aliter sentire D. Thomam de votis simplicibus in ordine ad constituendum religiosum, quam sensit, et dixit. Nam cum religio constituatur auctoritate, et ordinatione Ecclesiæ, tunc in tempore D. Thomæ Ecclesia solum censebat esse religiosos cum effectu, qui essent professi, ut constat ex cap. Religioso, §. Quamvis de sententia excommunicationis in vi ubi dicitur: « Quamvis autem is qui religionem ingreditur, religiosus cum effectu censi non possit, donec sit tacite, vel expresse professus; » ergo ex Ecclesiæ determinatione tunc non erat aliquis religiosus ante professionem: professio autem neque tunc, neque modo etiam in societate Jesu fit per vota simplicia, qui enim in societate post biennium emittunt vota simplicia, licet sint vere religiosi, non tamen professi; olim autem in Ecclesia nondum erat de facto ista species religiosorum ante professionem, ut constat ex præfato decreto. Unde Div. Thomas loquens pro illo tempore non potuit ponere quod de facto esset tunc religio per vota simplicia, et ante professionem. Imo mitius locutus est Div. Thomas quam jus ipsum canonicum. Nam jus canonicum dixit: Non potest cum effectu religiosus censi. At D. Thomas abstinuit a verbo potest, et solum dixit quod non fit aliquis religiosus per votum simplex, sed per professionem, quia solum locutus est de facto, et prout religiosus status erat tunc in Ecclesia.

At vero loquendo de possibili, et

secundum quod postea in temporibus decrevit Ecclesia esse religionem, et fieri vere religiosos per quædam vota simplicia in societate, D. Thomas non solum id non negavit, sed potius admisit, et viam ad id aperuit, docens posse ex Ecclesiæ statuto simplex votum dirimere matrimonium; constat autem paræ rationis esse quod votum simplex matrimonium dirimat ex Ecclesiæ statuto, et quod possit religiosum constituere, ob hoc enim maxime religiosum constituit, quia inhabilitat ad matrimonium, dum tale votum durat. Id autem admisisse D. Thomam constat ex his quæ tradit in additionibus qu. LIII, art. II; nam in argumento tertio sic inquit D. Thomam: «Votum solemne nihil habet quod non possit votum simplex quia posset habere scandalum cum possit esse in publico sicut solemne, similiter Ecclesia posset et deberet statuere, quod votum simplex dirimat matrimonium contractum, ut multa peccata vitentur, ergo qua ratione votum simplex non dirimit matrimonium, neque solemne dirimere debet.» Respondet s. doctor: «Ad tertium dicendum quod votum solemne habet exhibitionem proprii corporis quam non habet votum simplex ut ex dictis patet, et ideo ratio ex insufficienti procedit.» Ubi D. Thomas non negat posse ex statuto Ecclesiæ votum simplex dirimere matrimonium, sed dicit adhuc esse differentiam inter votum simplex et solemne, quod hoc habet actualem exhibitionem proprii corporis, quam non habet votum simplex, licet ex statuto Ecclesiæ habeat dirimere. Si ergo non negat posse id Ecclesiam statuere, etiam non negabit posse ex eodem statuto Ecclesiæ religiosum constituere, etiam sine professione. Qui locus valde singularis est et notandus pro hac materia in qua sic indiscriminatim solet sugil-

lari doctor sanctus sine causa. Locus iste ex additionibus correspondet in quarto distinct. XXXVIII, q. I, art. III, q. III.

Similiter quod D. Thomas tempore non fieret aliquis religiosus nisi professione et voto solemni constat ex textu citato, et ita est concors sententia jurisperitorum et Summistarum qui omnino tenent eandem sententiam cum D. Thoma, quia loquuntur secundum jus antiquum, ut advertit Azor, lib. XI institutionum, c. XXIV, q. III, ubi citat plures ex interpretibus juris canonici super rubricam tituli de regularibus, et Summistis v. religio, aut religiosus, aut v. votum agendo de voti solemnitate. Quando ergo D. Thomas dicit requiri votum solemne ut aliquis sit religiosus, loquitur secundum jus antiquum non cognoscens aliquos esse religiosos ante professionem, professio autem non fit nisi voto solemni, ut patet ex capite unico de voto et voti redemptione in VI. Quomodo autem votum solemne ex natura sua faciat religiosum, cum tota solemnitas voti ex auctoritate Ecclesiæ descendat ut dicitur in capite unico de voto et voti redemptione, dicemus infra circa propositionem XXXI. Non enim hoc tollit quod etiam votum solemnitis natura petat illam approbationem Ecclesiæ tamquam mutuam contractum, et stipulationem, seu potius traditionem quæ sine acceptatione Ecclesiæ non consummatur, et ea stante ex sua natura religiosum facit.

Ex his solvitur alia propositio quæ cum hac in D. Thoma objiciebatur, scilicet simplex votum castitatis in religione irritum non facere matrimonium. Respondetur D. Thomam nunquam locutum esse de voto simplici in religione facto, quod ex apostolico statuto constituit religiosum, cum usque ad tempora id non decreverit Ecclesia,

sed loquitur de voto simplici ex natura sua, et ut fit extra religionem, et si non irritat matrimonium; posse autem ex statuto Ecclesiæ votum simplex irritare matrimonium docet D. Thomas loco supra citato.

TERTIA PROPOSITIO: QUOD PATER, ET FILIUS POSSUNT DICI DUO SPIRATORES.

Sunt duo valde distincta inquirere, an Pater, et Filius sint unicum principium Spiritus Sancti, et unica spiratione ipsum spirent, et inquirere an possint dici duo spiratores. De primo semper docuit D. Thomas esse unicum principium spirandi, et unicam spirationem, etiam ubi docuit esse duos spiratores, ut patet in primo distinction. XI, quæst. I, artic. II et distinctione XXIX, quæstione unica, artic. IV, ubi id secundum omnes esse dicendum expresse docuit. Et hoc est quod definivit Concilium Lugdunense, ut habetur in capite unico de Summa Trinitate, in VI scilicet: « Spiritum Sanctum procedere a Patre, et Filio non tamquam ex duobus principiis sed tamquam ex uno, non duabus spirationibus, sed unica. » Atque ita quantum ad id quod definivit Concilium pari modo sentit D. Thomas.

De secundo, an sit dicendus unus spirator Pater, et Filius, vel duo spiratores Concilium nihil definivit, sed id per consequentiam et discursum a theologis deducitur, dependet enim ex propositione opinabili, an ly spirator habeat modum nominis adjectivi, vel substantivi, et ex regula dialectica, an substantiva significantia operationem sumant suam unitatem ab unitate operationis, quæ est quasi forma significata, vel ab unitate operantis, seu suppositi. Et Div. Thomas in primo distinct. XI, quæst. I, art. IV, secutus est opi-

nionem, quæ etiam est multorum, ut fatetur I p. quæst. XXXVI, art. IV, quod spirator habet se sicut nomen adjectivum, et ita sunt plures spiratores, quia sunt plures Personæ sicut et plures spirantes. Cui favet Hilarius in II de Trinitate dicens: « Spiritum Sanctum a Patre, et Filio auctoribus procedere, » idem autem est auctor, et spirator. Hoc tamen retractavit postea D. Thomas in loco citato I p. melius existimans, quod nomen spirator est substantivum, sicut ly principium, et ly Deus, et sicut Pater, et Filius non sunt plura principia, sic nec plures spiratores. Nec retractavit D. Thomas oppositam tamquam censurabilem, sed ut minus veram, et auctores, qui in hoc D. Thomam sequuntur, nihil censure in oppositam sententiam objiciunt, ut Molina, I p. q. XXXVI, art. IV; Suarez, lib. X de Trinitate, c. VI, num. III. Quare salva definitione Concilii Lugdunensis manet sine censura disputabile, an spirator sit adjectivum, vel substantivum, et multiplicetur ad solam multiplicationem suppositorum. Et in hoc si aliquid minus probabile prius tenuit D. Thomas se ipsum correxit, unde ultimæ ejus determinationi standum est.

QUARTA PROPOSITIO: FILIUS DEI ASSUMPSIT HOMINEM, ET ILLA PROPOSITIO: ILLE HOMO CŒPIT ESSE DEUS, LICET SIT FALSA NON TAMEN HÆRETICA.

Hæc censura duas propositiones involvit. Prima, quod illam propositionem (Filius Dei assumpsit hominem) ut falsam non ut hæreticam D. Thomas rejecerit in tertio sententiarum distinctio VI, quod tamen rejecit postea III p. q. IV (nam si velint dicere, quod D. Thomas eam propositionem tenuerit est mera, et falsa calumnia, nam ibidem in ter-

tio dist. vi, q. i, art. ii, expresse concludit nullo modo esse tenendum quod homo sit assumptus) et hoc quia D. Thomas vidit determinationem Concilii, quam antea non viderat. Cæterum D. Thomas in tertio sent. dist. vi, q. ii, art. vi, ubi inquit, an Filius Dei assumpserit hominem (non in q. ii, art. iv ut male citatur ab auctore elucidarii, pag. 977) sic dicit: « Unde et prima opinio quæ ponitur in tertio dist. vi sententiarum, concedit hominem esse assumptum sed illa opinio erronea est, ut supra dictum est, » scilicet q. ii, art. vi ubi Div. Thomas nullam mentionem facit alicujus determinationis Concilii circa hanc propositionem Filius Dei assumpsit hominem, atque adeo falso illi imponitur, quod dixerit esse damnatum in Concilio, sed D. Thomas dixit illam opinionem esse erroneam, quia duas hypostases ponebat in Christo, et ex consequenti asserebat hominem esse assumptum.

Dices: In tertio sententiarum dist. vi, q. i, art. ii D. Thomas dixit hanc opinionem non esse hæreticam, et tamen nunc dicit esse erroneam in iii p. ergo jam sibi contrariatur in hac parte. Respondetur etiam si totum daremus nihil inconueniens sequitur, quia aliquam emendat, vel addit D. Thomas aliquid in summa theologiæ, quod non dixerat, vel aliter dixerat in sententiis. Et sic ad ultimum ejus iudicium in summa standum est. Secundo, addimus, quod in citato loco ex tertio sententiarum docet illam opinionem non esse hæreticam non absolute, sed quantum ad unum punctum, quod ibi tractabat, scilicet quia ista opinio non ponebat aliquam unionem accidentalem sicut Nestorius, et Dioscorus inter Deum, et humanam naturam, ut patet in illis verbis: « Sciendum tamen, quod prima opinio nullum prædictorum

modorum unionis ponebat; unde non est hæretica, etc. » scilicet ex hac parte qua non ponit unionem accidentalem. An vero aliunde sit erronea non discussit, quia ibi non tractabat de omni eo, quod asserebat illa opinio, multa enim alia dicebat ut refert S. Thomas in initio illius distinctionis. At vero in iii p. q. ii, art. vi dicit illam opinionem esse erroneam, et incidere in opinionem Nestorii, quia ponebat duas hypostases in Christo, et quia ponit assumptum hominem, ut dicit q. iii, art. iii. Ut autem negabat unionem hypostaticam esse accidentalem, nihil de illa in iii p. dicit, dixerat vero in tertio, sententiarum quia sic non est hæretica.

De alia vero propositione, scilicet: Ille homo incipit esse Deus, non facit mentionem D. Thomas in iii dist. vi citata, sed solum dicit, quod illa prima opinio dicebat, quod Persona Verbi incipit esse eilla substantia scilicet homo, quod non erat intelligibile, non tamen ponit ibi propositionem illam oppositam, scilicet: Ille homo incipit esse Deus. At vero dist. vii, q. ii, art. ii, docet quod hæc propositio: Homo factus est Deus, secundum diversos sensus aliquando est falsa, aliquando vera, non tamen dicit aliquid de censura, an sit hæretica, vel erronea, an non. In distinctione autem xii, q. i, articulo unico ad vii, docet idem iudicium esse de ista propositione: Homo incipit esse Deus, atque de ista: Homo factus est Deus, et ideo requirendum esse in distinctione vii. Postea in iii p. q. xvi, art. ix, ubi inquit, an sit vera hæc propositio: Iste homo incipit esse, non tractat de censura illius, sed solum docet propter locutionem hæresis Arii esse vitandam, nec affert determinationem Concilii, nullius enim Concilii neminit. Unde nescio qua occasione hæc propositio, seu objectio est imposita D. Thomæ,

QUINTA PROPOSITIO: DEUS NON POTEST CREARE ALIQUAM TERRAM PRÆTER ISTAM, QUAM HABEMUS.

Hæc propositio est mera calumnia. Verba D. Thomæ sunt i p. q. xlvi, articulo ultimo ad ultimum: « Dicendum quod mundus constat ex tota sua materia, non est enim possibile esse aliam terram, quam istam quia omnis terra ferretur naturaliter ad hoc medium ubicumque esset et idem est de aliis corporibus, quæ sunt partes mundi. » Ita D. Thomas ubi non habetur verbum quo significetur Deum non posse creare aliam terram. Quod enim dicit non est possibile, etc. loquitur naturaliter, ut patet ex subjecta probatione: Quia ferretur naturaliter ad medium, dicendo enim naturaliter, latis iudicat quod supernaturaliter aliud posset fieri, nec ibi D. Thomas inquit in ordine ad potentiam Dei absolutam, sed de facto, an sit tantum unus mundus, aut una terra, de potentia enim absoluta non est dubitabile posse esse alios mundos.

SEXTA PROPOSITIO: QUOD SIT POSSIBILIS CREATURA EXISTENS ABSOLUTA NECESSITATE.

Est mera calumnia, solum enim loquitur D. Thomas de creaturis habentibus necessitatem participatam et dependentem ab influxu Dei, sine contingentia tamen quæ provenit ex materia habente possibilitatem ad multas formas. Verba D. Thomæ sunt in ii contra gentes, cap. xxx, in principio: « Sunt quædam in rebus creatis, quæ simpliciter, et absolute necesse est esse, illas enim res simpliciter, et absolute necesse est esse, in quibus non est possibilitas ad non esse; quædam autem res sic sunt a Deo in esse productæ, quod in earum natura sit potentia ad non

esse: quod quidem contingit ex hoc quod materia in eis est in potentia ad aliam formam; illæ igitur res in quibus non est materia, vel si est possibilis, ad aliam formam, non habent potentiam ad non esse, eas igitur simpliciter, et absolute necesse est esse. » Ubi loquitur s. doctor de potentia materiali ad non esse, et ex principiis naturalibus. Cæterum in ordine ad Deum, subdit: « Si autem dicatur quod ea quæ sunt ex nihilo, quantum de se in nihilum tendunt et sic omnibus creaturis inest potentia ad non esse, manifestum est hoc non sequi; dicuntur enim res creatæ in nihilum tendere eo modo quo sunt ex nihilo, quod quidem non est nisi secundum potentiam agentis. Sic igitur in rebus creatis non est in potentia ad non esse, sed Creatori inest potentia ut eis det esse, vel eis desinat esse influere, cum non ex necessitate naturæ agat ad rerum productionem. » Sic D. Thomas, ubi clarissime fateatur non esse creaturam necessario existentem respectu agentis a quo sibi datur esse, sed solum per respectum ad materiam potentem mutare formam et esse, quod est dicere dari creaturas incorruptibiles, licet annihilabiles, seu secundum potentiam logicam non esse entia necessaria, bene tamen secundum physicam, quod in calumniam vertere, et in propositionem erroneam, magnæ insipientiæ est, ut optime de quibusdam Parisiensibus, qui hanc propositionem D. Thomæ suspectam habebant dicit Cajetanus i p. q. ix, art. ii, in fine.

SEPTIMA PROPOSITIO: QUOD IN RELIGIONE CUM VOTO SIMPLICI PAUPERIATIS NON POSSIT COHÆRERE DOMINIUM.

Sic refertur ista propositio, nec designatur locus ubi id S. Thomas affirmet, sed dicitur plures ex Tho-

mistis eam defendere, ut ex principiis D. Thomæ deductam. Qui sint isti Thomistæ, non citantur. Certe ipsa propositio manifeste se prodit non esse D. Thomæ nusquam enim doctores sanctus locutus est de voto simplici in religione facto, cum ejus tempore nondum ab Ecclesia tale quid fuisset statutum. Et licet aliqui putent fuisse olim aliquas religiones solis votis simplicibus constantes, ut docuit Michael de Medina, lib. iv de sacrorum hominum continentia, cap. xxxi, et Henriquez, lib. xii de matrimonio, cap. v, num. iv, docet tempore Augustini fuisse religionem clericorum cum certis votis simplicibus, et Vazquez 1-2, disput. clxv, cap. ix, testatur aliquos viros doctos societatis sensisse antiquitus fuisse religiones veras cum solis votis simplicibus: sed tamen quidquid de hoc sit, certe non constat nobis fuisse olim religionem approbatam expresse a Sede Apostolica cum solis votis simplicibus usque ad hæc tempora. Et sic D. Thomas nusquam agnovit talem religionem de facto in Ecclesia dari, sed solum locutus est de religionibus per solemnia vota institutis.

Igitur S. Thomas quando loquitur de voto paupertatis, solum loquitur de voto solemnii, et non solum ad religionem, sed etiam ad professionem pertinente. Verba autem ejus de hoc voto loquendo sunt in 2-2, q. clxxxvi, art. iii, ubi inquit: «Ad perfectionem charitatis acquirendam, primum fundamentum est voluntaria paupertas, ut aliquis absque proprio vivat.» Item in quæstione cxcviii, art. vii, dicit: «Quod habere aliquid proprium perfectioni religionis repugnat.» Quæ loca videntur est, quomodo non contrarietur determinationi Gregorii xiii, in bulla: Ascendente Domino, dicentis quod in religiosis votorum simplicium in societate remanet do-

minium etsi non usus bonorum.

Sed respondetur primo, quod D. Thomas loquitur de religione per professionem suscepta, quæ solum suo tempore erat in usu: licet autem religioni in genere non repugnet dominium, bene tamen professioni religionis etiam in societate, in qua professi dominio omnino carent. Secundo, quando dicit D. Thomas ut absque proprio vivat, ly absque proprio, non restringitur ad hoc ut absque dominio sit, sed indifferenter, et distinctive se habet ut intelligatur, vel absque proprio, carendo dominio, vel absque usu, et administratione bonorum etiam dominio retento, hoc enim ad minus requiritur ad voluntariam paupertatem, quam etiam servare in societate religiosos simplicium votorum nulli potest dubium esse, non per abdicationem dominii, sed per carentiam usus, et administrationis. Et exempla quibus illo primo loco ostendit D. Thomas requiri ad perfectionem voluntariam paupertatem non procedunt de abdicatione dominii, sed usus, sicut illud quod affert ex Hieronymo, de Crate Thebano, qui abiecit magnum pondus auri, et de illo divite cui Dominus dixit: *Vade, vende omnia quæ habes, etc.* nec enim obligamur intelligere, quod dixerit fac te incapacem dominii, sed solum, usu te priva. Utrumque ergo in illo verbo absque proprio vivat, potest intelligi sive de abdicatione dominii, sive de abdicatione usus. Tertio, D. Thomas in priori loco non dixit, quod absque proprio vivere (etiam si intelligatur absque dominio) est de necessitate, et essentia religionis, sed quod ad perfectionem charitatis est primum fundamentum, id est, principale, et maximum, quod nemo negare potest, cum multum ad perfectionem charitatis illa abdicatio conducat. Inde vero inferre quod cum voto simplici

paupertatis in aliqua vera religione non cohæret dominium, non apparet, quæ illatio, vel consequentia sit. In posteriori autem loco loquitur expresse de modo vivendi cum proprio quando habet sollicitudinem circa proprias divitias, quod valde impedit perfectionem. Proprium autem cum sollicitudine dicit dominium cum usu, seu administratione bonorum, quæ administratio non est etiam in religiosis simplicium votum, in quibus etsi decernat Pontifex manere dominium, non tamen usum. Ubi ergo decrevit Pontifex quod habere proprium cum sollicitudine circa divitias non repugnat perfectioni religionis?

OCTAVA PROPOSITIO: CHRISTUM DOMINUM BENEDIXISSE PANEM NON ALIIS VERBIS, VEL MODO QUAM CONSECRATIONE.

Constat de hoc varias fuisse opiniones, quas refert S. Thomas iii p. q. lxxviii, art. i ad 1 et in iv dist. viii, q. i, art. i ad 1, hodieque tota hæc, materia est opinabilis. D. Thomas elegit illam opinionem, quod benedictio illa Christi non fuerit alia, quam consecratio; id ipsum secuti sunt multi, et graves auctores, Alexander, Marsilius, Durandus, Gabriel Hugo, cardinalis Lyra, imo et catechismus Pii v, tit. de eucharistia, quos citat Vazquez iii tom. in iii p. disp. clxix, c. i. Idem ex recentioribus sequuntur Valentia, tomo iv, disp. vi, qu. vi, puncto i, Henriquez, lib. viii de eucharistia, c. xvi, Petrus a Soto; de instructione sacerdotum, lect. ii de eucharistia; Nusio, iii p. q. lxxviii, art. i, circa finem dubii ultimi, qui dicit utrumque esse probabile etiam inter Thomistas. Unde miramur qua ratione dicere potuit Vazquez ubi supra, hanc opinionem esse in scholis relictam,

cum tot habet assertores, et tantos.

Præter auctores vero, habet etiam magnum, et probabilissimum fundamentum; opposita vero sententia nihil affert, quod ullius momenti sit contra illam. Unde ergo indefensibilis censi potest? Quod habeat magnum fundamentum, inde colligitur, quia consecratio etiam benedictio appellari solet, ut i ad Corinthios x: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Et eodem modo appellatur ab Ambrosio in libro de his qui initiantur, c. ix: «Hic est panis quem benedictio consecravit;» auctor libri de cardinalibus Christi operibus, tit. de cœna Domini; Cyrillus, epist. x ad Nestorium; Justinus, in ii apologia, et alii patres. Consecratio ergo benedictio est. Ex alia vero parte si ponatur alia benedictio non consecrativa prolata a Christo, non potest explicari, quænam fuerit, nam verbalis, non constat quibus verbis fuerit facta, et ad quid Christus bis benedixisset panem, et calicem per verba. Per signa autem non apparet, quæ benedictio fuerit, nam per signum crucis, quo utuntur modo sacerdotes quando benedicunt non ad significandam benedictionem Christi ante consecrationem, sed ad exprimendam virtutem crucis ejus, ut dicit S. Thomas, iii p. q. lxxxiii art. v ad iii, sed tali signo non est usus Christus, quia adhuc tunc non sanctificaverat crucem sua morte. Ergo manet inexplicabile, quæ fuerit illa benedictio non consecrativa. Ne ergo in re incerta præcipitur sententia, convenientius elegit D. Thomas dicere, quod illa benedictio, quam ponunt evangelistæ, non est aliud, quam consecratio. Neque obstat, quod prius referatur benedictio, deinde consecrationis prolatio dicendo: *Benedixit ac fregit, deditque discipu-*